Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Jonstoni Historia Naturalis

Ioannis Ionstoni|| Theatrvm|| Vniversale|| De Avibvs

Jonston, Jan

Heilbrunna, MDCCLVI.

VD18 90528921

Illustration: Tab. 38. Montifringilla mas. [...]

urn:nbn:de:gbv:45:1-11068

Visual Library

Montifringilla mas.
Montifringillæ Congener.
Linaria marina.
Linaria rubra.
Linaria alia
Alauda.
Lerche.
Alauda Criſtata.
Güntel.
Alauda pratorum.
Alauda Criſtata.
Alauda Criſtata Senex.
Alaudæ Congener
Corn loto Æthiopica.
Calandra.
Chloris ſylueſtris
Citrinella.
Lutea ſeu Cirulus
fæmina.
Lutea mas.

Victus. Iiſdem, quibus carduelis *ueſcitur*, naſci inprimis et comizae ſemine.

Generatio. *Nidulatur* in montium ſyluis. *Oua* ſecundum nonnullos duodecim, ſecundum alios quatuor aut quinque ponit. *Vox. Aldrou. Ornith. l. 18. c. 4.* Amoeniſsime cantat et non tantum carduelis, ſed et aliarum auium aliquando uocem imitatur.

Volatus. *Volant* gregatim et toto agmine facillime autumno capiuntur. Sanguis eius cum ſali ſanguine non coit. Aſino uero, quod ſpinas tempore uerno depaſcens nidum deiiciat, infenſus eſt.

Deſcriptio. PASSER CANARIVS ab inſulis Canariis, unde adfertur, ita dictus, auis eſt uulgaris, pari magnitudine, roſtro albo paruo et in acutum tendente, alarum et caudae pennis totis uiridi colore. Mari pectus, uenter et pars ſuperior capitis, quae roſtro adiacet, magis lutea ſunt, quam foeminae.

Victus. *Paſcitur* phalaridis ſemine, ſaccharo et auricula muris, qua ad cantum excitantur.

Vox. Concentu eſt ualde amoeno et acuto, quem ſpiritu diu non interrupto nunc longum, nunc in altum uaria uocis inflexione extendit.

Praeferundi, quibus cauda longior, corporis magnitudo minor.

CAPVT II.

De Fringilla, Montifringilla et Linaria.

Deſcriptio. FRINGILLA ſeu, quod frigus praenuntiet ſeu, quod plures in frigore conuolent, ita dicta, ſpiza eſt Ariſtoteli, modernis Graecis fringillaro. In ea capitis et colli pars prona ad ſubcaeruleum uergit, quod hinc ad uropygium ſubuireſcit. Pectus et uenter inter rubrum et ſpadiceum ambigunt. *Foemina* minus uegetis ornatur coloribus, pectus et uenter ex ruſo albeſcunt. Viſa toto corpore candida. Viſa et ex albido flaueſcens.

Locus. Ariſt. H. A. l. 9. c. 7. *Locis* gaudent hyeme moderate frigidis, aeſtate tepidis. Nam in Heluetia foeminae per hyemem recedunt et ualido frigore ita offenduntur, ut uolare nequeant et manibus capiantur.

Generatio. In infimis arborum et ſummis fruticum ramis *nidulantur*. Nidus intus ex lana et aranearum telis, extus ex muſco conſtruitur. Quinque aut ſex ponere *oua* aucupes referunt.

Vox. Non uno eodemque modo *canunt*. Quaedam conciſe quaſi querulantur, quaedam in longum trahunt. Maribus uox alta eſt et plena. Foeminis exilis et ſubmiſsior. Fringutire uel frigere auctores dicunt, ſi, ſuauius ut canat, uolueris, locuſtam mandendam adpone.

Ingenium. Difficulter ob aſtutiam capiuntur, facilius uel zephyro flante uel ſudo. Nam et demiſsius tum uolant et melius allectricum uoces audiunt. Quaedam nunquam manſueſcunt et inedia conſumtae commoriuntur. Omnes primis captiuitatis menſibus prae moeſtitia obmuteſcunt nec niſi blanditis exhilarantur. Mane ſi canant, tempeſtatem praeſagiunt. *Theophr. de ſign. tempeſt.*

Deſcriptio. MONTIFRINGILLA magnitudine fringillam excedit. Color in capite, dorſo et cauda nigrior, quam fringillae. Supina pars albicat. Pectus cum gutture nonnihil ruboris habet. Alae duabus tranſuerſis lineis ex ruſo flaueſcentibus diſtinguuntur, media linea interiecta. In foemina uertex, ceruix et dorſum plus habent ferruginei, alarum linea ſuperior adeo eſt anguſta et breuis, ut fere deliteſcat. Non adeo ſuaue canunt et caueis incluſae aliarum, paſſerum inprimis, uoces imitantur.

Deſcriptio. LINARIA paſſeris eſt magnitudine, ſpecie admodum ſimilis, colore teſtaceo ſeu ferrugineo ad cinereum uergente eoque in mare intenſiore. Idem in pectore maculis reſpergitur ruſis, foemina fuſcis et maioribus. Alarum rectrices pennae nigricant, ſed ad latera et in extremitatibus ſuis candicant.

Landesbibliothek Oldenburg